Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 9
Quelle:
Copyright:

nisi quod *Actus Apostolorum* postpositi sint *Epistolis*. *Genesis* c III. v. 15. legitur: *Ipsa conteret* &c. Post *Nehemiae* Librum *fol.* 195. insertus est *Tertius Esdrae*, qui autem *Secundus* inscribitur. *Psalmi* hoc rubro gaudent: *Incipit liber ymnorum uel soliloquiorum prophete dauid de christo. Machabaei* duos *Rabani Mauri Prologos* habent: ad *Ludouicum regem* et ad *Geroldum sacri palacii Archidiachonum*, e quibus Editionem *Colon.* 1626. *Opp. omn. Rabani* T. IV. p. 380. hic emendare lubet. Itaque in priore

Pro:	Lege:
ad parcendum atque se uiendum.	*ad parendum et seruiendum.*
sensu feceram.	*sensu confeceram.*
sensum mysticum meis.	*sensum mysticum in eis.*
hoc dedit — consummari	*hoc dedit velle — consummare.*
incolumes — amantes.	*incolumem — amantem.*

In altero.

Abbati Huduino.	*Abbati Hilduino.*
tradendum reseruaui.	*tradendam reseruaui.*
gentium Historicis.	*gentium Historiis.*
largitor — mihi gratias referat.	*largitori — inde gratias referas.*
veniam impetrari.	*veniam impetrare.*

Job. I. c. 5. Testimonium *coeleste* et *terrestre* a prima manu legitur. *Apocalypsin* nota illa *Hebraicorum Graecorum* que Vocabulorum Expositio sequitur, cui, quod utinam tota illa Tribus semper fecisset, Librarius subjecit: *Anno Domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Septimo. Ego Henricus de Nemosio* (Nemauso, Nismes) *Clericus perfeci Bibliotecam istam. Mense Februario.* Multae Literae hujus Clausulae Diplomaticas unciales imitantur.

III. VI. 8. 8.

811 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 491. 8. per duas columnas minutim, sed nitidissime exaratus et minio decorus continet *Biblia utriusque Testamenti*, ordine Librorum consueto, praefixisque, ut solet, *Hieronymi* Prologis et Argumentis. *Gen.* c. 3. v. 15. legitur: *Ipsa conteret.* Libro II. *Paralip.* continuo adtexta est *Oratio Manassis*, idque solum in margine notatum. Libro *Nehemiae* subjungitur Tertius *Esdrae* apocryphus, qui tamen Secundus inscribitur. *Epistolae Paulinae* praecedunt *Actus Apostolorum. Job.* I. c. 5. post testimonium terrestre omittitur τo: *Et hi tres unum sunt. Apocalypsi* subscriptum: *Explicit bibliotheca.* Tum se-